



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Notæ In Notas Willelmi Wendrockii Ad Ludovici Montaltii
Litteras, Et In Disquisitiones Pauli Irenæi Inustæ**

Fabri, Honoré

Coloniæ, 1659

Nota II. De stupro sententia Baunii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39536

rio tamen, hoc est, Janseniano, ut mollius loquar, cum Calvinianum meritò dicere possim. Frustrà igitur de altero Apologista quereris, cùm ille Montaltium mitius, quàm par esset, exceperit.

N O T A I I.

De stupro sententia Baunii.

Montaltii malitia, in referenda Baunii opinione, nullam prorsus excusationem admittit: nempe illam refert, perinde atque si Virgo ita sui corporis domina esset, ut ad omnem usum eo uti posset, ac proinde sese licitè prostitueret: hinc *lutulentam* illam & *inauditam* opinionem vocat. Tu quoque Willelme, Montaltii vestigiis tuo more insistis. Quasi verò herus, servi sui dominus non sit, licet ad turpem usum eo uti nequeat. Idem dico de omnibus aliis, quæ sub dominium cadunt. Sic Virgo sui corporis ita est domina, ut illud citra Parentum injuriam, ad honestos scilicet usus, alteri tradere possit: hinc si nubat, etiam invitis parentibus, matrimonium legitimum est, juxta Tridentinum sess. 24. in Decreto de reformatione Matrimonii. Hinc si Virgo sese alteri volens prostituat, peccat haud dubiè contra castitatem stuprator, at minimè contra justitiam; nisi fortè aliquod damnum Virginis parentes, aut detrimentum indè patiantur. Hæc est Baunii opinio, quam ipse accepit à Bannez, Navarro, Petro à Navarra, Soto, Graffio, Megala, citatis ab Apologista; ad quem te remitto, quia rem hanc egregiè discussit. Si vis, adde alios, scilicet Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 14. num. 1. Valquez opusc. de restit. c. 3. §. 1. dub. 1. n. 6. Lessium lib. 2. c. 1. dub. 1. Coninck de Sacram. tom. 2. disp. 7. dub.

7. dub. 4. n. 19. & plures quos refert & sequitur Diana 1. part. tract. 17. resol. 12. Item Responsum illud editum Parisiis an. 1655. cui 18. Curiones & 12. Doctores Sorbonici subscripserunt in Matrimonii causa; quia hujus responsi veritas eo præsertim fundamento nititur, quod usus corporum, licitus scilicet, ad filios-familias, non ad parentes pertineat! Quod autem in stupro Virginis consentientes, virginitatis circumstantia in confessione necessario explicanda non sit, docet De Lugo de Pœnit. disp. 16. sect. 4. num. 218. Ubi citat Soto, Suarez, Vasquez, Lessium, Sanchez, Coninck, Navarram, Tannerum, Megala, Molfesum, Dianam, additque num. 227. stuprum distinctam speciem inducere, quando intervenit violentia, aut raptus, aut dolus, aut aliud injustitiæ genus. Sed pudet diutius tractare fœces, quas toto libro passim aggeris. Quid aliud, quæso, scurra fœculentus effunderet?

N O T A I I I.

De Voluptatibus licitis.

Turpissimam recentioris Apologistæ, illius scilicet, quem furiosum & immanem vocas, doctrinam commemoras; * qui scribit, multos graves Theologos docere, voluptates gustus æquè licitas esse, ac auditus, odoratus, aspectus; easque moderatas scilicet, ex se indifferentes esse; & hanc doctrinam *turpissimam* censes, quam tamen docuere D. Bonaventura in 2. dist. 41. a. 1. q. 3. Scotus ibidem a. 1. concl. 1. Ockamus in 1. q. 1. ad 1. Almainus tract. 1. moral. c. 14. Major in 4. dist. 31. concl. 7. Vis recentiores? Tabiena v. ebrietas n. 3. Navarrus Manual. c. 23. n. 119. qui citat Cajet. in summa. Toletus lib. 8.

* Pag. 223.

c. 62.